

factis fuit quod intervenerit mors earum victimarum quæ erant typus Christi.

ARTICULUS IV.

De autoritate textus Hebraici.

DUBITARI non potest quin si ipsa scripturæ sacræ originalis prout à sacris scriptoribus sive Hebræo sive Græco aut alio idiomate sunt edita, extarent incorrupta, summam habere deberent autoritatem apud omnes qui hoc sciunt. Verùm quia satis certum est ea non extare, aut si forte aliquod tale uspiam extet, nullo Ecclesiæ decreto, nullaque aliâ notiâ certò scitur quod illud verè sit autographum; Ideo de autoritate textus Hebraici qui nunc extat, dubium est.

Quidam enim summam autoritatem ei tribuunt, vulgatamque editionem latinam facillè ipsi postponunt, ac etiam (quando ab illo textu dissidet) reprehendunt & obviunt, ut hæretici nostrî temporis, & præter illos aliqui Catholici.

Alij ad aliud extremum declinantes nullam ei textui autoritatem tribuunt, neque pro controversijs dirimendis, neque pro fidei dogmatibus confirmandis, eò quod existiment ipsum esse omnino depravatum. Ut autem quod verius est, dicamus: Sit

CONCLUSIO I.

CODICES Hebraici non sunt penitus sinceri & incorrupti: vix enim humanitus fieri potest, ut in ijs quæ frequenter describuntur vel imprimuntur, idque tam à malis quam à bonis, tam ab indoctis quam à doctis, errata non accidant per scribarum aut typographorum incuriam, ignorantiam, vel inadvertentiam; idque præsertim in Hebraicis, ubi aliquæ litteræ per multum sunt sibi similes.

Accedit quod verisimile est Judæos ex invidia vel odio Christianæ religionis quædam corrupisse ad obscurandam de Christi adventu veritatem ejusque gloriam, quemadmodum videri potest apud Lorcam lib. I. de locis disput. 5. & Serarium in prolegom. cap. 12.

Textus Hebraicus corruptus. Quæ tamen corruptio non contigit ante Christi, imò nec ante Hieronymi tempora, sed centum circiter annis post ipsum.

Nam B. Hieronymus in cap. 6. Isaïæ allegat Origenem dicentem, quod si à Judæis falsati essent libri sacri, nunquam Dominus & Apostoli qui cætera crimina arguunt in scribis & Phariseis; de hoc crimine quod erat maximum reticissent. Et mox, Sin autem dixerint, post adventum Domini Salvatoris & prædicationem Apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero. Consentitque August. lib. 17. de civit. cap. 13.

Neque his obstat eundem B. Hieronymum in cap. 3. ad Galat. agnoscere Judæos quædam de textu Hebraico delevisse: partim quia non omnino asseveranter hoc agnoscit, sed dubiè ac velut per concessionem: partim quia commentarios in Isaïam scripsit posterus, post mortem scilicet Paulæ cui commentarium in epistolam ad Galatas dedicaverat: partim quia licet aliqua loca fortasse fuerint ab aliquibus particularibus in quibusdam eorum libris corrupta, non fuit tamen ea corruptio generalis, neque quoad libros cor-

ruptos, neque quoad personas corruptentes, sicut postea verisimile est in aliquo Judæorum conventu fuisse tentatum per Masoretas, ut vocant, circa an. Domini quingentesimum, quando textui Hebraico puncta addiderunt; vel etiam per alios, tempore intermedio quod ab Hieronymo fuit usque ad ipsos. Quorum ea fertur fuisse diligentia, ut in libris, quos Judæi canonicos agnoscunt, nihil maligne addi, demi; vel mutari possit, quin statim deprehenderetur ab Hebraicè peritis; eò quod & versus, & vocabula, & litteras omnes exactè numeraverint, ac posteritati transmiserint.

Non obstat etiam quod idem Hieronymus epistola 11. quæ inter Augustini epistolæ est 89. dicit cap. 6. se biblia vertisse, & ea testimonia quæ à Judæis prætermissa sunt vel corrupta in medium proferre ut nostrî, id est, Latini scirent quid Hebraica veritas contineret: Per Judæos enim intelligit Aquilam, Symachum, & Theodotionem Judæizantes qui scripturam ex Hebræo in Græcum translulerunt, eam truncando vel aliter corrumperendo, ut ex ejusdem epistolæ cap. 5. & ex præfat. in Job potest intelligi, etiam si fontem ipsum Hebraicum non turbaverint.

Sed neque obstat quod Origenes in epistola ad Julium Africanum tradat quædam è sacro textu fuisse sublata; Solùm enim vult aliqua exemplaria fuisse depravata, ea nimirum quæ in vulgari notitiam erant ventura, idque ne Principum vel judicum erimina vulgo innotescerent; cum alioquin ea quæ servabantur in abditis, incorrupta manerent. Vide quæ diximus hujus tract. qu. 1. art. 26. & generaliter observa quod si quis ante Hieronymum objiciat Judæis scripturæ sacræ falsationem, non de communi univerforum seu quasi univerforum codicum corruptione id accipiendum sit, sed de aliquorum Judæorum particulari falsatione suorum propriorum codicum.

CONCLUSIO II.

NON EST existimandum quod sacri Codices Hebræi penitus sint corrupti seu depravati. PRIMÒ, quia editio nostra vulgata plurimum consentit cum textu Hebræo etiam prout nunc est: ergo quemadmodum ex aliquibus differentijs argumentamur, alias esse depravationes in Hebræis codicibus; sic ex magna convenientia possumus argumentari eos ex majori parte non esse corruptos.

SECUNDÒ, quia non est ratio quare Judæi malitiosè corrupissent ea loca quæ vel parum vel nihil faciunt ad stabiliendum dogma de Christo ejusque vel divinitate vel adventu; cum certum si gentem illam semper fuisse scripturæ sacræ studiosissimam, adeò ut Philo apud Euseb. lib. 8. de præparat. cap. 2. scribat quod centies unusquisque Judæorum potius morietur quam legi Moisaicæ derogabit, eam scilicet immutando vel aliter corrumperendo. Ubi autem multæ sunt prophetiæ de Christo, non fuerunt ausi omnia corrumperere, quia nimis evidenter fuisset eorum fraus detecta, atque ita sibi ipsis nimium nocuissent; sed in illis tantùm locis ubi vel nulla vel exigua esset faciendi litterarum commutatio, sola scilicet punctorum facta varietate.

CONCLUSIO III.

TEXTUS Hebræus bibliorum qui nunc extat, non est canonicus, neque autoritatis irre-